

tragoediae, qui furores, qui ludi funebres  
nimis longi, mortem ejus postea insecuti,  
Bernhardo nepote oculis ob perfidiam à  
Ludovico Pio orbato, & hoc iterum cum  
filiis ancipiti Marte pugnante! Taceo sex-  
centa alia, ex diversis nationum memoriis  
atque tabulis petita exempla, quæ fidem di-  
ctis meis faciunt; rarissime imperii florentis  
stuctus a Successoribus decerptos & degu-  
statos esse. Hic autem plane alia rerum  
occurrit facies, & singularia Divinae in *Do-  
mum Regiam* providentiæ sese exerunt mo-  
numenta. *Fridericus* enim *Gvilhelmus*  
*gloriosissimæ memoriæ Princeps Elector*,  
Summos Orbis Europæi Principes in admi-  
rationem & cultum sui rapuerat & pertra-  
xerat, clasibus suis extremam fere Africae  
oram adierat, & gentes Barbaras fama virtu-  
tis suæ excitarat, ut sedibus suis excitæ qua-  
si novum Numen illud præsentem vellent in-  
tueri. Addere possem tria virtutis, & for-  
tunæ illius momenta, quæ propria habuit  
& cum nullo Principe communia, qui ante  
C 2 ipsum